



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

VIII. Vtrum solus Deus sit immutabilis, & æternus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

lio, & alijs illud Baruch. 3. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Vtrumque verò definitur expresse in c. *Firmius* de summa Trinitate, & fide Catholica.

Art. 2. Non est autem quantitativa infinitas propria Dei, nec consistit in magnitudine, aut multitudine partium; siquidem Deus nullas habet partes, ut dictum est, q. 3. Consistit itaque in plenitudine perfecta essendi ratione cuius ita in se includit omne purum esse secundum omnes ipsius gradus absolute possibiles, ut nullo unquam limite, ac termino coercetur citra ambitum totius possibilitatis. Quin in eo assignata, in quovis genere, qualibet virtuali magnitudine finita essendi v.g. ut tria, aut centum; eaque pluries, & pluries quantumlibet replicata, nunquam pervenitur ad aequalitatem cum Deo, sed semper supererit aliquid extra eum excessu incomparabili. Quod est proprium infiniti, & pertinet ad eius formalem, & explicitum conceptum iuxta Phil. 3. Phys. c. 6. Ratio huius est. Quia Deus est ens à se, ut dictum est supra, ideoque nihil est, per quod limitetur, ac restringatur infra summum, ac infinitum.

Art. 3. Ad infinitatem consequitur immediate immensitas; Tum quia quod non est immensum, eo ipso patitur aliquam in eo genere limitationem; ac proinde nequit esse infinitum simpliciter, & in omni genere: tum quia unumquodque iuxta suam entitativam magnitudinem perfectionis, obtinet proportionaliter magnitudinem suae diffusionis, & quali extensionis in ordine ad spatium, ut ostenditur inductione, & ratione à priori in qq. de Angelis; ac proinde infinitum secundum esse necessarium est immensum secundum spatium; tum denique quia ad infinitatem simpliciter spectat potestas non minus ubilibet quam quilibet agendi; quae absque ubiquitate, seu immensitate esse non potest. De quo alibi. Infinitus igitur, & immensus est Deus.

Ad 1. Philosophus in illis locis non agit de infinito ut sic, aut de infinito simpliciter, & in omni genere, sed de solo infinito sensibili, & extenso proprie sine fine. Vnde neutrum illorum est de re.

Ad 2. Sicut de ratione immensitatis est, ut sit formaliter, ubicumque est, aut potest esse aliquid aliud; non tamen, ut sit alicubi (præterquam virtualiter, & eminenter) eo modo, quo inibi est, aut potest esse aliquid non immensum: ita est de conceptu entis simpliciter infiniti, ut contineat in se formaliter omne purum esse; non tamen, ut contineat, (præterquam eminenter) aliquid esse mixtum, seu quasi mixtum cum imperfectione.

Ad 3. De conceptu identitatis est, ut iis, quæ identificantur adequatè cum aliquo tertio, conveniant omnia, quæ conveniunt eidem tertio. Vnde fieri non potest, ut simul distinguantur inter se realiter. At non est de conceptu præsentium eidem tertio, ut conveniant similiter cum eodem quoad omnia prædicata, ut patet. Quare si unum aliquod simplex æqualeat duobus, poterit utriusque adesse se toto totalitate entitatis, quin propterea utrumque adsit illi totaliter totalitate spatij; ac proinde quin alterutrum adsit alteri. Tam enim fieri potest, ut simplex illud excedat amplitudine spatij, quam ut excedat magnitudine perfectionis.


Art. 1. Ad 4. Deus, antequam quidquam faceret, erat actualiter in se ipso tantum, atque adeo erat uniformiter ubique. Quia Deus per se ipsum essentialiter est suum ubique esse, suæque ubiquitas; sicut essentialiter est suum esse, suæque aternitas.

Erat itaque Deus, ante mundum conditum, ubi, & quando nihil erat præter ipsum; non ubi, & quando nihil erat simpliciter. Erat enim ipse, qui est, & erat suum ubi, & suum quando, non secus, ac est, & erat sua cognitio, & suus amor. Qua de re videri potest inter alios D. Bernardus l. 5. de consideratione c. 6.

Art. 2. A mundo autem condito, Deus est extra ipsum mundum vndequeque infinite, seu, ut dicitur, in spatijs omnibus purè imaginarijs, per præsentiam re ipsa penitus absolutam; eodem nimirum prorsus modo, atque dictum est fuisse ubique ante creationem rerum. Cuius veritatis sinceritatem ex se non valde difficilem, quæ capiat, multi multis obnubilant; exornat verò quamplurimum, de more, ex Scriptura, & PP. Petavius tom. 1. Theol. lib. 3. à cap. 7. At in ipso mundo, inque singulis eius partibus adest præterea Deus specialiter per essentiam, & potentiam, & specialitate fundata, non in mutatione Dei, sed in mutatione creaturarum transeuntium de non esse ad esse.

Art. 3. Hoc videlicet est essenziale rebus creatis, ut ex suppositione, quod existant, sint in primis indistantes à Deo per intimam sui penetrationem adequatam cum ipso; deinde, ut immediate terminent intuitionem Dei ad se, subsintque eius providentiæ; demum, ut æquè immediate dependeant ab eius influxu quoad esse, & conservari. Ratione primi, dicitur Deus esse in creaturis, per essentiam; ratione secundi; per præsentiam; ratione tertij, per potentiam, ut exponit D. Thomas q. 8. art. 3. & alij communiter. Sed primum illud tantum modo pertinet formaliter ad immensitatem, & præstat per ipsam conditionatè quidem, antequam existant creaturæ, & ubi non existant; absolute verò, cum existunt, & ubi existunt.

Ad 5. Impossibile est ab infinito simpliciter, & in omni genere fieri aliquid sibi æquale. Quia quod sit ab alio, non sufficit sibi adesse, & indiget illo alio. Quod non cadit in infinitum simpliciter, & in omni genere. Cui autem repugnat, ut sit infinitum simpliciter, repugnat etiam, ut sit immensum. Quia magnitudo in ordine ad spatium commensuratur magnitudini entitativæ, ut dictum est. Quare necesse nequaquam est, ut virtus activa proportionetur essentiae Dei Arithmetice, sed vellic, vel Geometricè tantum quoad magnitudinem effectus producibilis per ipsam. An verò fieri absolute à Deo possit infinitum secundum quid, seu in certo quodam tantum genere, nempe secundum magnitudinem vel continuam, vel discretam? Quæstio est nihil conferens ad scopum quæstionis præsentis. Quia infinitas Dei propria tam differt à tali infinitate, quam differt à quolibet, sub omni ratione, finito.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum solus Deus sit immutabilis, & æternus.



DETVR non esse. 1. Quia Deus est intelligens. Intelligere autem est quoddam pati, iuxta Philosophum; atque pati est mutari, cum nihil patitur, quin aliter se habeat, quam prius.

2. Deus

2. Deus est substantia vivens. De ratione autem vivens est motus ab intrinseco, ut est notum apud omnes ex Philosopho. Ergo de ratione Dei est, ut moveatur per se ipsum. Confirmatur ex Augusti lib. 8. super Genesim ad litt. c. 20. ubi assentitur Platoni, dicens, quod *Spiritus creator movetur se nec per tempus, nec per locum.*

3. Deus est ante aeternitatem, ut dicitur in libro de causis proposit. 2. & regnabit ultra aeternitatem, ut liquet ex 15. Exod. 18. Rursus Danielis 12. 3. dicuntur perpetui aeternitates in numero plurali; & Rom. 6. 23. Beatitudo hominum dicitur vita aeterna; & Matthaei 25. 41. Ignis reproborum dicitur aeternus. Ergo nec Deus est aeternus, sed excedens hinc, & inde aeternitatem; nec rebus creatis repugnat esse aeternus.

4. Aeternitas est duratio tota simul existens. Ergo si Deus esset aeternus; tota sua duratione coexistere omnibus, & singulis quodcumque existentibus, nec non omnibus eorum durationibus, & partibus durationum; ac proinde nihil esset praeteritum, aut futurum, respectu Dei; sed omnia essent ipsi praesentia physice, & coexistentia ab aeterno in aeternitate. Quae tamen omnia sunt absurda, & contra fidem; tum creationis mundi in tempore; tum praesistentiae Dei ante illam; ac demum contra experientiam successione aliarum rerum post alias, uti fuse ostendunt Suarez, Vasquez, & alij cum Scotistis, & Nominalibus.

Art. 1. Respondetur. Motus est actus entis in potentia, & mutatio est transitus à contradictorio in contradictorium. Vnde omne mutabile est compositum ex actu, & potentia, & capax acquirendi, quod ante non haberet; vel amittendi, quod haberet: Deus autem est perfectè simplex, & expers omnis compositionis, ut dictum est q. 3. Et similiter est ens essentialiter necessarium, ac infinitum, identificans sibi essentialiter omne purum bonum, atque excludens à se omne malum, seu purum, seu mixtum. Ideoque minime capax, cui aliquid in se intrinsecè, vel accedat; vel decedat; ut constat ex q. 2. demonstr. 2. & ex quaest. proxime precedenti. Ergo Deus est omnino immutabilis, iuxta illud Ps. 101. 27. *Mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es.* & Iac. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Eodem re ipsa sensu dicitur, Num. 23. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiar; nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et Malac. 3. 6. *Ego Dominus, & non mutor.*

Art. 2. Ad immutabilitatem consequitur immediate aeternitas. Quia repugnat, ut immutabile transeat à non esse ad esse: vel ab esse ad non esse, vel secundum se, vel secundum aliquid sui. Ergo quod est immutabile, est essentialiter determinatum, ut semper, ac necessarior sit, utque invariabiliter permaneat eodem semper modo existens in se intrinsecè; in quo consistit conceptus entis essentialiter aeterni. Ergo Deus est essentialiter aeternus, nec principium habens, nec terminum essendi illum, iuxta illud Psalm. 89. 2. *Prinquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à seculo, & usque in seculum tu es Deus.* Et in Symbolo Athanasij dicitur *Aeternus Pater, &c.* Eadem aeternitas simul cum immutabilitate definitur in cap. Firmiter saepe citato.

Art. 3. Eodem ferè pertinet, quod Deus saepe dicitur immortalis. Quia sub hac voce intelligitur vita immutabiliter, ac uniformiter semper permanens; nempe, ut dicit Augusti lib. 3. contra Maximum c. 12. *In omni mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio. Quia fit aliquid in ea non esse, quod erat.* Id quod pluribus coarctatè profertur Bern. Serm. 3. in Cantica. Prima autem ad Timoth. 6. 16. dicitur de Deo.

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

Qui solus habet immortalitatem. Solus igitur habet immutabilitatem, atque in ea fundatam aeternitatem. Omnia namque alia extra Deum, subiacent eius libertati quoad esse, & non esse, ut ostenditur infra quaest. 20. suntque proinde mutabilia, & vicissitudinis obumbrationi obnoxia non solum secundum accedens, sed etiam simpliciter, & secundum totum suum esse. Vnde, & aeternitatis propriae talis sunt incapacia.

Art. 4. Quod ut melius intelligatur, utque legitime aeternitatis conceptus constanter, & pure retineatur in omni enunciatione ipsam concernente; inspicenda est attentè communis eius definitio ex Boetio l. 3. de consol. prof. 2. *Aeternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Dicitur primò, *possessio*; quia per durationem cuius una species est aeternitas, unumquodque quasi habet, ac possidet se ipsum. Congruit autem magis aeternitati; quam aliis durationibus, ratio possessionis, quatenus quod possidetur, firmiter, & quietè habetur; atque per aeternitatem immutabiliter ac indeficienter habetur ipsum esse, quod est aeternum. Dicitur deinde hac possessio *tota simul*. Tota quidem, non ratione unionis, aut aggregationis omnium suarum partium, quas non habet in se alias, vel etiam virtualiter intrinsecè distinctas, ut constat ex quaest. 3. sed quatenus nihil sibi deest. *Simul verò*, ad excludendam successionem partium, quae est propria temporis. Subiungitur tertio, *perfecta*, ad excludendam imperfectionem instantis, seu nunc temporis, quod idem ipsum est quodammodo totum simul, sed est incompletum, & imperfectum.

Art. 5. Additur denique *interminabilis vita*. Vitae quidem, quia in primis nihil est verè aeternum, nisi vivens, & praeterea hoc nomen est maxime expressivum operationis, ut patet ex definitione viventis; atque ratio durationis attenditur secundum conditionem operationis unicuique convenientis. Vnde, & tempus definitur per motum; ideoque detinentibus ad cognitionem aeternitatis per cognitionem temporis, opportune suggeritur, pro illius explicatione; differentia nobilissima motus. Dicitur verò *interminabilis*, conceptu negativo: non quod ad constitutionem aeternitatis pertineat negatio aliqua pura; cum dictum sit q. 6. nullam talem negationem dari in Deo: id quod observat D. Thomas q. 10. art. 1. ad 1. Sed quia in tempore, mediante cuius cognitione pervenit intellectus noster ad cognitionem aeternitatis, vix vlla apparet bonitas, & perfectio; cum imperfectio instabilitatis, & fluxus continui, maxime verò numerabilitatis, & terminorum secundum prius, & posterius à parte ante, & à parte post, sit usque adeo nota, ut hinc tradatur eius definitio à Philosopho, & ab aliis communiter dicentibus tempus esse numerum motus secundum prius, & posterius. Nullo igitur alio modo commodius concipi à nobis potest aeternitas, quam per remotionem, & negationem eiusmodi imperfectionis, nec non, & perfectionis qualiscumque convenientis tempori, quatenus contractae ad eam imperfectionem. Qua de causa aeternitas communiter collocatur, & merito, inter attributa negativa Dei, iuxta dicta in eadem q. 6. per conceptum formaliter exclusivum omnis termini, ac limitationis tam à parte ante, quam à parte post.

Art. 6. Haec omnia in communi definitione singularim expressa ad duo quaedam summa capita renovantur, nempe ad infinitatem durationis carentis principio, & fine; ante quam nihil fuerit, nec esse poterit; post quam nihil erit, aut esse poterit, & ad simplicitatem, seu potius ad simplicitatem, ac indivisionem repugnantem multiplicati, & successioni partium. Quapropter potest aliter brevius definiti.

E Duratib

Duratio simplex, & infinita; seu, *Instans infinitum*; id est, omnem terminum vndeque pratergradiens, & sine vlla in se successione, continens eminenter omnem permanentiam successivam in esse, tum quodcumque existentem, tum absolute possibilem.

Art. 7. Iam verò huiusmodi durationem essentialiter consequi ad immutabilitatem Dei, ex eo est manifestum, quia enti essentialiter prorsus immutabili repugnat essentialiter, ut vel sit postquam non fuit, vel postquam est, desinat esse, aut secundum se simpliciter, aut secundum aliquid sui; ideoque est eadem essentialiter, ut uniformiter semper sit absque principio, & sine per determinationem sic essendi indistinctam à sua ipsa entitate, & necessitate existendi, quæ est perfectissime simplex, tum realiter, tum virtualiter intrinsece. Quem modum essendi, ac permanendi in esse, patet nulli rei creatæ convenire posse, ob rationem indicatam art. 1. Patet igitur Deum esse, solūque Deum esse absolute, & perfecte immutabilem, ac æternum.

Ad 1. Intelligere creatum, de quo loquitur Philosophus, dicitur quoddam pati; quia sit per formam accidentalem, quatenus receptam in substantia intelligente, eidemque quasi impressam ab obiecto; quod non verificatur de intelligere divino, ut infra dicitur.

Ad 2. Motus ab intrinseco, secundum conceptum adequatum motus, est de ratione solius viventis creati. Quia hoc solū vivens potest aliter se habere nunc, atque prius. Vitæ autem divinæ sola convenit perfectio motus ab intrinseco, quatenus est operatio à se, & vi sua existens, & non proveniens ab agente extrinseco, vel adequatè, vel etiam inadæquatè. Imperfectio verò, sine qua non subsistit conceptus adequatus motus, non habet locum in Deo. Quapropter Deus habet totā perfectionem vitæ physice, & intentionalis, absque vlla imperfectione propria vitæ creatæ. Iam Augustinus non usurpat motum pro actu entis in potentia: quo sensu hic loquimur de motu, & mutabili; sed motum appellat, ex sensu Platonis, quamlibet operationem, atque adeo intellectionem, & volitionem quamlibet etiam indistinctam substantia operante, intelligente, & volente, atque existentem à se. In quo nullum est inconueniens. Verū loquendi modus iamdiu est antiquatus in scholis.

Ad 3. Æternitas sumitur latè, & improprie in illis locis; in libro quidem de causis, pro æternitate participata propria intelligentiarum, quas verè præcedit Deus; in libro verò Exodi, pro seculo, aut pro periodo cuiusque rei finem habentis. In reliquis testimoniis intelligitur æternitas cum hac limitatione, à parte post; quæ est communis, & certa interpretum intelligentia: Deo autem tribuitur æternitas propriè talis, utrimque interminabilis, & tota simul, atque perfecta, sensu explicato.

Art. 1. Ad 4. Circa eam sequelam disputatur magno utrimque conatu, sed maiori, ut videtur cum æquiuocatione, inter auctores illam negantes, qui ibi indicantur, & inter plerisque Thomistas, nec non Fonseca, Molinam, Giliū, Modtoyam, Granados, & alios admittentes eandem. Dicendum primò est, cum D. Thoma q. 2. de verit. art. 12. & alibi sæpè, nihil esse re ipsa futurum, aut præteritum respectu Dei, & æternitatis divinæ secundum se præcisè, sicut nihil est futurum, aut deorsum, ante, aut retro, respectu Dei, immensitatis divinæ, secundum se præcisè. Quia, ut aliquid sit re ipsa futurum respectu alicuius, necesse est, ut hoc, vel aliqua eius duratio habeat re ipsa rationem præteriti respectu illius; cum iam ipsum existit; seu quod eodem recidit, requiritur, ut re ipsa non coexistat futuro, & toti eius durationi tota præexi-

stentis duratio; sed hæc, vel secundum se totam, vel saltem secundum aliquam sui partem, iam sit elapsa, cum illud pervenit ad esse, eiusque duratio incipit existere. Repugnat autem Deum, aut aliquid divinum aliquando præterisse re ipsa. Quia quod præterit, secundum id, secundum quod præterit, iam non est. Repugnat autem Deo, cuius prædicato divino, ut aliquando verificetur ipsum iam non esse. Hoc enim manifestè repugnat immutabilitati divinæ, & conceptui æternitatis, qua permanent in esse omnia divina.

Art. 2. Repugnat similiter, ut rei aliquando existenti non coexistat tunc Deus; atque adeo omnia divina, inter quæ unum est æternitas. Quæ cum nullas habeat partes re ipsa, repugnat consequenter, ut non coexistat re ipsa tota Dei duratio cuius rei aliquando existenti, & cuius eius durationi, aut parti durationis. Quid autem clarius esse potest, quàm neutrum eorum esse præteritum, aut futurum re ipsa respectu alterius, quorum utriuslibet tota duratio coexistit re ipsa toti alterius durationi? Nihil igitur creatum est præteritum, aut futurum propriè respectu Dei, aut divinæ æternitatis secundum se præcisè.

Art. 3. Dicendum rursus est, nullam rem creatam, nullamque durationem rei creatæ correspondere adequatè æternitati Dei; id est, existere quodcumque ipsa existit. Sicut nulla res creata correspondet adequatè immensitati, aut existit ubique ipsa existit. Quia Deus, & eius æternitas sunt semper, & quodcumque, atque coexistunt omnibus, & singulis differentiis temporis, tum realibus, tum imaginariis, ad eum modum, quo dictum est in questione præcedenti adesse Deum per suam immensitatem omnibus, & singulis spatiis, tum realibus, tum imaginariis. Nulla autem res creata, nullaque rei creatæ duratio potest ita coexistere omnibus, & singulis differentiis temporis; omnia siquidem creata aliquando existunt, & aliquando non, nec habent individuum durationem pro diversis differentiis temporis præteritum totius possibile. Res igitur creatæ, earumque durationes participant tantum inadæquatè perfectionem propriam æternitatis divinæ; ad eum utique modum, quo creatæ bonitates, activitates, magnitudines, &c. participant inadæquatè perfectionem propriam summi boni, omnipotentis, immensitatis, &c.

Artic. 4. Omnes itaque, & singuli effectus creati, eorumque negotiationes, & privationes quodcumque existentes coexistunt, & non nisi coexistunt Deo, absque vlla futuratione, aut præteritione propria respectu ipsius secundum se; & consequenter coexistunt adequatè æternitati Dei adæquatione entitatis. At non propterea coexistunt sibi invicem, quæ existunt pro diversis differentiis temporis, neque coexistunt adequatè æternitati Dei adæquatione omnium differentiarum temporis, quibus ipsa coexistit. Quæ duo patent satis ex duobus principijs immediate antè præmissis. Percipiuntur verò melius, si conferantur cum iis, quæ dicta sunt in simili circa tertium, & quartum questionis præcedentis.

Artic. 5. Ex his vltieris apparet, quæstiones de veritate istarum propositionum. Omnia creata existunt; seu coexistunt Deo ab æterno in æternitate. Quæ existunt successivè in se, existunt nihilominus simul in æternitate; seu coexistunt nihilominus simul Deo; seu nullam nihilominus habent successionem in æternitate. Antichristus iam existit, Alexander Magnus adhuc existit in æternitate. Apparet, inquam, quæstiones istas, & alias illis similes esse de voce. Quia de ipsa significata ex parte obiecti abundè constat ex dictis. Negandæ autem potius sunt tales propo-

propositiones absolute prolata. Quia particula distributiva ab aeterno, simul, nullam successionem; & restrictivam, seu determinativam, iam & adhuc, cum nullas reperiant partes re ipsa in aeternitate secundum se, quas distribuunt, aut determinent; non intelliguntur distribuere, aut determinare aeternitatem ipsam secundum se, aut secundum varias eius formalitates tantum extrinsece distinguibiles ratione nostra; sed distribuunt, aut determinant eandem aeternitatem prout correspondentem omnibus temporum differentiis, tum realibus, tum imaginariis; atque eo ipso redduntur falsæ tales propositiones, ut patet ex dictis. Consuetius tamen est, ut distinguantur eadem propositiones iuxta dicta, nec affirmantur, aut negantur sine tali distinctione, hoc modo. Omnia creata coexistunt Deo secundum se precise ab aeterno in aeternitate; conceditur; Deo quatenus existenti in diversis differentiis temporis, seu quatenus connotanti, & completenti easdem temporis differentias, negatur; & sic de similibus.



QVÆSTIO IX.

Utrum Deus sit ineffabilis, innominabilis, & inuisibilis?



IDEATUR non esse. 1. Quia de nulla re plus loquimur, quam de Deo; nullamque pluries nominamus, quam Deum; & eo unumquodque est cognoscibilis, ac visibilis, quod maius, & perfectius est, cum ratio veri, & ratio entis sint mutuo convertibiles, ideoque necesse sit utramque indivisim crescere, ac minui in unoquoque: Deus vero est ens omnium maximum, summumque. Ergo Deus est maxime omnium effabilis, nominabilis, atque visibilis.

2. Iob. 36. 26. dicitur: *Omnes homines vident eum.* Et Exodi 15. 3. *Omnipotens nomen eius* Judith. 9. 10. *Dominus nomen est tibi.* Deinde Aug. l. 1. de doct. Christ. cap. 6. subtiliter infert Deum esse nominabilem. Quia ineffabilis dici potest. *Quoniam si illud est ineffabile, inquit, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabili dici potest.* Visibilis igitur, nominabilis, & effabilis est Deus.

Art. 1. Respondetur, Deus est quodammodo nominabilis, & effabilis, & quodammodo non simpliciter, tamen dicendus potius est ineffabilis, & innominabilis; nominabilis vero, & effabilis tantum secundum quid, & imperfecte. Et quidem Deum esse ineffabilem, definitur absolute in c. *Firmiter* de sum. Trinit. Idem colligitur ex 30. Prouer. 4. *Quod est nomen eius, aut quod nomen Elij eius? si nosci* ex 32. Gen. 29. *Cur queris nomen meum?* Et ex constitutione Christi in celestibus supra omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, 1. ad Ephe. 2. 1. Unde est celebre apud sanctos PP. illud Platonis, ac Trismegisti. *Deum intelligere difficile est; loqui autem impossibile.* Et D. Dionysius c. 1. de diu. nom. docet. *Dei neque nomen esse, neque sermonem.* & Aug. l. 7. de Trinit. c. 4. *Verius cogitari de Deo aliquid, quam dici.* Certum nihilominus est, ex testimoniis adductis in secunda ratione dubitandi, aliisque similibus quam pluribus Deum esse aliquo modo nominabilem, nempe nomine imperfecte, ac minime quidditative significante ipsum; verè tamen discretivo eiusdem à quibuscumque aliis rebus.

Art. 2. Ratio utriusque partis est. Quia mensura significationis in voce desumitur ex qualitate cogni-

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

tionis, tum præsuppositæ in loquente, tum generabilis seu excitabilis per ipsam in audiente iuxta intentionem loquentis. Cognitio autem Dei, quam possumus assequi, dum sumus in via, quæque est excitabilis in nobis per voces, sine habentes significationem ex impositione nostra, sine ex impositione Beatorum, vel etiam ipsius Dei, est admodum imperfecta, utpotè habita mediantibus creaturis, & representans ipsum ad modum earum, ideoque abstractiva; nec propriè quidditativa, & plus retinens de ignorantia, quam participas de scientia, cum excessu ignorantie simpliciter infinito, propter infinitam distantiam obiectorum creatoris, & cognoscibilitatis ipsorum, à Deo, & cognoscibilitate Dei. Eadem nihilominus cognitio est multipliciter discretiva Dei à creaturis, & eatenus quodam imperfecto modo quidditativa, ut patet ex dictis supra præsertim q. 2. & 5. Est igitur Deus innominabilis potius, & ineffabilis, quam nominabilis, & effabilis, tamen aliquantulisper imperfectè sit nominabilis non solum metaphoricè, per nomina desumpta ex rebus corporeis, ut cum dicitur Sol, leo, ignis, &c. Sed etiam propriè, & sine metaphora, per voces precisas perfectionis ab imperfectione secundum rectum; ut cum dicitur omniscius, omnipotens, ens à se, & similia in concreto, ad significandam rationem substantia omnino complexæ; vel sapientia infinita, omnipotentia, Deitas, Aseitas, & similia in abstracto, ad significandam simplicitatem maxime propriam formarum, ut abstrahendum à concretionem materiæ, & compositionem.

Art. 3. Ulterior ratio imperfectionis convenientis cognitioni nostræ circa Deum, dum sumus in via desumitur ex impotentia videndi Deum immediate, ut est in se, & ex repugnantia cognitionis abstractivæ æquivalentis intuitivæ respectu Dei. Inde enim fit, ut cognoscatur à nobis imperfectissimè per æigmata creaturarum contingentia ipsum in se cum infinita imperfectione, & inadequatione; visionem autem Dei immediatam, ut est in se, esse naturaliter impossibile, non solum nobis, sed etiam omni alij substantiæ creatæ, & creabili. patebit ex questione sequenti. Quia verò unumquodque absolute denominatur iuxta id quod sibi convenit ex natura rei, propterea absolute dicitur Deus inuisibilis, magis etiam, quam ineffabilis, & innominabilis; tamen aliquando dicatur videri à viatoribus, visione latè sumpta pro qualicumque cognitione distinctiva unius ab alio.

Ex distinctionibus datis patet sufficienter sensus legitimus eorum, quæ dicuntur in rationibus dubitandi. Quod additur in prima ratione, maiora, & perfectiora, esse cognoscibilia, ac visibilia; est verum de solo intellectu habente iustam proportionem cum obiecto, quæ minime inest intellectui nostro respectu Dei, ideoque dicitur communiter ipsam comparari cum Deo, sicut oculi vertilionis comparantur cum sole, qui nimio splendore illos obruit.



QVÆSTIO X.

Utrum visio Dei immediata sit connaturalis homini? aut possit esse connaturalis alicui substantiæ creabili?

VIDetur esse connaturalis homini; vel certè non repugnare substantiam creatam, cui sit connaturalis. 1. Quia naturaliter inest homini desiderium

C 2

beatitudinis